



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. IV. De iis, quæ præcedere debent confirmatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

nem præstiti numerandum. Plura alia videri possunt in *relat. c.* quæ ad petendam hanc confirmationem novissima hæc jura statuunt & observari debent, nisi consuetudo alia alicubi vigeat.

## §. IV.

*De iis, quæ præcedere debent confirmationem?*

**C**onfirmatio dari non debet, nisi prius instituta inquisitione, de forma, & processu electionis, ac de meritis, & conditione electi *c. Nihil 44. h. t.* ut ne cum detrimento Ecclesiæ, aut indigni assumantur ad regimen Ecclesiæ, aut contra legitimam electionis formam procedatur, & hinc decretum electionis continens totam seriem, seu processum electionis, authenticè descriptum Romam submitti debet (ut ait *Gloss. in c. innovit 20. h. t. V. decreto*) una cum examine super qualitatibus electi, per testes probatis; de quo Examine plura statuit *Gregorius XIV. in sua Bulla: Onus Apostolica, 1510. r. Maij*, ac observari debet, si non aliud recepta consuetudo, & praxis habeat. Deinde si electus coelectus, vel alium suæ electionis adversarium habeat, ii ante confirmationem nominatim vocandi sunt, ad causam suam agendam: si verò concursus fuerit electio, & nullus se opponat, edictum tamen generale, ad valvas Ecclesiæ, in quâ electio facta est, affigendum, in quo contradictores, si qui sint, pæsempronie vocentur, ut statuto die, & loco confirmationis faciendæ veniant causas impugnandæ electionis, & impediendæ confirmationis dicendi juxta *c. fin. h. t.* ita ut his omiſſis, nulla sit confirma-

tio: qui tamen edicto tali proposito ante confirmationem, nihil contra electionem agit, confirmatione subsecuta non auditur amplius, si velit postmodum contra electionem hanc opponere aliquid, nisi absens fuerit, aut probabilem edicti ignorantiam per verisimiles conjecturas, & accedens juramentum probare possit *Argu. c. ult. qui marri. accus. poss. vel non per viam exceptionis, sed per viam denuntiationis Canonice contra electum & confirmatum opponat aliquid.*

## §. V.

*Alia quadam ad confirmationem electionis pertinentia.*

**S**i quis ad eandem Prælaturam pluribus diversis electionibus electus est, non potest ad impetrandam confirmationem utraq; uti, *c. ut quis 25. h. t. in 6.* quamvis enim pluribus defensionibus ad titulum beneficii acquisitum defendendum, uti possit, juxta *Reg. juris 20. in 6.* quia tamen confirmatio vagari non potest in incerto, sed super re, vel jure certo fieri debet, consequenter una aliqua electio ab electo determinanda est, cujus confirmatio petatur. Fieri autem debet confirmatio electionis non in curia, aut palatio secularis alicujus Principis, sed in Ecclesia, vel Palatio superioris Ecclesiastici confirmantis, uti colligitur *exc. qua fronte de Appellat.* eo ipso enim, quòd causæ cognitionem requirat confirmatio, conveniens est, ut fiat in loco Ecclesiastico. Neque tamen cassatâ confirmatione, ob defectum aliquem Canonicum, qui in ea intervenit, cassatur etiam electio, legitimè facta, ut constat *ex*